

Bibliothèque numérique

medic@

**Solier, Jean-Luc-Marie - candidat /
Moreau, Edmond-Thomas - président /
Le Vignon, Quirin. - An Sclopetorum
Vulnera venenata ?**

1754.

*Paris : Typis Viduae Quillau,
Universit. & Facult. Medicinae
Typograp.*

Cote : ms 2333 n°81

496

87



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI - PARÆ , ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO - CHIRURGICA , *
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum , die Jovis , vigesimæ-primæ mensis
Martii , anno Domini M. DCC. LIV.

M. EDMUND O - THOMA MOREAU ,
Doctore Medico , Præside.

An Sclopetorum Vulnera venenata ?

I.

A USARUM externarum corpus nostrum affi-
cientium aliæ necessariæ , quales sunt res non
naturales omnes ἀδιαφοραι ; aliæ non necessariæ ,
ut casus , iectus & fortuita omnia , quarum impe-
tus cæci , licet nec arte prævideri nec declinari
possint , medicam tamen opem chirurgique ἀχείρην exposcunt .

* M. QUIRINI LE VIGNON , Anno 1626.

A



Ab his et si absentibus causis ut & præsentibus indicationes desumendo, futura prædicendo, citò tutò & jucundè *σύνθεσιν*, *διαίρεσιν* & *εξαίρεσιν* (quibus universa Chirurgia , ut Medicina *τροπήσει καὶ ἀφαίρεσι*, comprehenditur) absolvit. Sic in vulnerum sclopetis inflictorum curatione , à solutione continui & contusione insigni rerum agendarum insinuationes deprendendo , optatum finem consequetur.

II.

ENIMVERO vulnerum , promptè , difficulter aut nullatenus sanabilem cognitio Medico , magis quam Chirurgo , utrique tamen necessaria est ; ne videantur occidisse quem fors ipsa peremit , aut ejus curam suscepisse qui servari non poterat. Parva magnis , rotundis recta , discissa collisis , ære quam ferro incisa *εὐχερέτερα* sunt. Parva ne contemnito , quæ Cordi illata , mortem haud dubiam ; Diaphragmati , phrenitidem , fardonium risum (h̄c ut assumpto multo croco *γανδρόζενον*) ; cerebro , bilis vomitum , desipientiam , *ἀφωνίαν* , apoplexiām , ab omni humore , à sanguine mitiorem , & *ἐκπληξίαν* ; jugularibus aut magnis venis , profusione sanguinis hominem exhauriendo , desipientiam , singultum , convulsionem , ab hypercatharsi calamitosam , invehunt. Capitis *τρώματα* , in syncipite aut temporibus accepta , quam in occipite vertice aut ponè aures graviora.

III.

AT à virulentis inficta bestiis , aut armis veneno infectis *κακοῖς* sunt , quæ nimis intumescere periculosem : nihil , periculosissimum. Vulneratae parti impactum intróque subiens venenum , cucurbitulis , scarificatu , suetu , ustione revellendum ; atque tum venæ sectione , catharsi , hidroticis , repellentibus & epuloticis consultò abstinentem. Internis impressa partibus maligna *διάτεσις* alexipharmacis corrigenda , quæ frustra à consimili expectas veneno , cuius vis certo tempore non interimens , consuetudine sàpè perit. Id alias intus progignitur , alias imprudentius intro assumitur ex metallorum , stirpium & animantium genere. Cave ne sulphur , nitrum , carbones salicis aut juglandis *venena* exi-

3

stimes ; singula innoxie assumenda & admovenda. Confectus ex his pyrius pulvis potus & admotus vulneratis interdum praesenti fuit auxilio. Numquid ferarum & avium sclopo occisarum carnes (secus sagittis thorâ, limeo aut *ζενικῷ tintis*) inter elegantiores epulas reponuntur ?

I V.

CAETERUM quæ πυργόλαν vulnibus superveniunt omnia , erosio , dolor , ἐνχύμωσις , syncope , ναστός , febris , gangræna , sphacelus non veneno , multò minus adustioni adscribenda sunt : quinimò ad collisionem , fracturam , concussionem &c referenda , à violento missilium ex ære , plumbbo aut ferro globulorum impetu , igniti pulveris intra tormenti fauces multiplicati operâ , cujus imperio vel id quo conclusus est necessariò disruptur , vel quod debilius resistit , cedat omnino oportet. Similis penè ab illato cornu cervi vulnere clades oboritur , licet ut , cornu unicornis , mirificè venenis obsistat. Utrobique si Austrina putredinis parens , aut Aquilonia ulceribus , ut pectori , inimica tempestas accidat , indè malorum foetura multiplex atque anceps curatio , quam præter hæc efficiunt ætas , corporis constitutio , ἐπιτήδευμα & affectarum partium natura .

V.

CURATIONIS autem momenta sunt ; victus frigidus humidus , sed tenuis , acutis omnibus non semper cum febre , præterquam peripneumoniæ commodus. Decoctum hordei potus esto , vinum minimè. Optimum medicamentum quies & animi tranquillitas. Venæ sectio cùm expedit ad lipothymiam imperanda , ut in febribus ardentibus , pestilentibus non item. Catharsis , cacochymiæ mediocri debita , ut consummatæ ἐπίνεψις . Oxycratum , potiones vulnerariæ ex symphyto , plantagine , rubiâ , herbâ Roberti , pentaphyllo , &c. paratæ , vomitione redditæ nil sinistri portendentes. Extraneorum corporum amotio (non magicis artibus ut Nicodemi , Gilberti & Theodorici pigmentis aut unguento magnetico tentanda) abscessus metu. Luxatorum aut fractorum ossium reductio , initio vitanda. Suppuratio ,

3

triapharmaco & setone procuranda. Exquisita detersio, terebinthinâ & melle rosato. Carnis generatio & cicatricis inductio, naturæ non artis opera. Toto morbi decursu symptomatum correctio. Alexipharmacæ nulla.

Ergo Sclopetorum Vulnera non sunt venenata.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Bernardus-Nicolaus Bertrand, Scholarum Professor.</i>	<i>M. Jacobus-Laurenlius Mauroy.</i>	<i>M. Claudius-Carolus Dejean.</i>
<i>M. Stephanus - Ludovicus Geoffroy.</i>	<i>M. Natalis-Andreas-Jean-Baptista Chesneau.</i>	<i>M. Franciscus-Felicitas Cebu.</i>
<i>M. Dionysius Pautier de Labreuilie.</i>	<i>M. Joannes-Franciscus Paris, Bibliotheca Facultatis Perfectus designatus.</i>	<i>M. Joannes de Diest.</i>

Proponebat Parisiis JOANNES - LUDOVICUS - MARIA SOLIER
Aurelius, Doctor Medicus Remensis, Saluberrimæ Facultatis in
Universitate Parisiensi Baccalaureus, A. R. S. H. 1754.

▲ SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduae QUILLAU, Universit. & Facult. Medicinæ Typograp. 1754